



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. XVII. Vt in Crvce gloriandu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT XVII.

Vt in CRUCE gloriandum.

Mihi absit gloriari nisi in CRUCE Do-
mini nostri Iesu Christi. *Gal. 4, 14.*

*Non onus est, sed honos; non dedecus, at de-
cus ingens,*

*Tecum vel minimam Christe tulisse CRV-
CEM.*



ORONIDEM salutaribus moni-
tis tandem imponere volens
Christus, Vnum hoc, inque-
bat, superest Staurophila, fir-
missimè tibi vt persuadeas,

summam dignitatem, summam gloriam,
summum honorem in eo situm, vt mecum

& pro me baiules tibi CRUCEM. *Quid enim* Tertull.
gloriosus, quàm mihi tanta & tam dura pro lib. de Re.
vobis passo, vicem reddere? plagas plagis, pro- resurrect.
bra probris, cruorem cruori rependere? carnis.

An non honor habetur seruo, si ex eodem bibat
calice, ex quo Rex & Dominus? Fit hoc,
cum tribulationis calicem, à me prius ex-
haultum, aliis quoque bibendum trado. Vn-
de Apostolis illis, confessum ad dexteram

R

vel

vel sinistram meam ambientibus, dicebam:

Matth. 20, 21. *Calicem quidem meum bibetis*; insinuans *mag-
ni amoris, & aeternae hereditatis esse signum,*
Thom. à Villâ nouâ Conc. de S. Iacob. *consortes eos hic facere calicis & passionis meae.*
Philipp. 1, 29. Intellexerunt optimè hanc dignitatem Pe-
trus & Paulus, quorum hic ait: *Vobis dona-
tum est pro Christo, non solum ut in illum cre-
datis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Ille ve-
rò: *Communicantes Christi passionibus gau-
dete, ut & in reuelatione gloriae eius gaudeatis
exultantes. Si exprobramini in nomine
Christi, beati eritis, quoniam quod est honoris,
gloriae & virtutis Dei, & qui est eius spiritus
super vos requiescit.* Hic nimirum potissimus
qui in hac vitâ haberi potest honor, & in
hoc tibi, Staurophila, gloriandum.

Cui illa: Hoc docuisti me, Domine; ni-
hil per ostentationem aut vanam gloriam
facere, imò adrepentem, & comitis instar
se bono operi adiungentem prorsus reiscere?
Quomodo igitur in CRUCE gloriabor? Cui
Dominus: Gloriam quærere, aut aduentitiâ
delectari, prohibui equidem, quia vtrumque
malum: omnem tamen gloriam non exclu-
dit, tantum ut qui gloriatur, in Domino glo-
rietur.

2. Corinth. 10, 17.

Cornel. in 2. ad Co-
rinth. 10, 17

Quid autem est in Domino gloriari? ro-
gabatur Staurophila. Illud nimirum, respon-
debat Christus, non seipsum commendare,
sed

sed à Domino commendationem & appro-
bationem expectare, ita vt illi, cuius patien-
tia donum est, illa ipsa accepta feratur, illi
omnis gloria adscribatur, ad illius laudem
& gloriam omnia dirigantur. *Omnis gloria* Ps. 44, 14.
filie Regis ab intus, non foris est: hoc est, non Bernard.
in flore scæni, aut in ore vulgi, sed in Domino: Serm. 25.
quod conscientie solus sit arbiter Deus, cui soli in Cant.
placere desiderat, & cui placere, sola vera &
summa gloria est. Talis enim cum Psalte di-
cit: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini Ps. 113, 26.
tuo da gloriam.

Gloria tibi, Domine, aiebat Staurophila,
quia erudisti famulam tuam, vt hanc non in
se, sed in te & à te peteret. Sed enim, cum
CRUX tua fuerit turpissimæ mortis suppli-
cium, & ignominie signum, scire aueo, an &
Dominus meus in CRUCE baiulandâ potue-
rit gloriari. Cui Christus: Ego, filia, glo-
riam meam non quæsiui, nec hominibus
placere desiderauit: gloriam verò, quæ à so-
lo Deo est, semper quæsiui. CRUCEM tamen,
ne nescias, velut imperij mei insigne prætu-
li, vt Propheta prædixerat: *Cuius principa-* Isa. 9, 6.
tus super humerum eius. Principatus enim Theophyl.
meus erat CRUX, propter quam me Deus ex- in cap. 23.
altauit. Et sicut in signum dignitatis, alij bal- Luc.
theum, alij mitram portant, sic & ego CRU-
CEM. Et sanè si inquiras, inuenies non aliter

me in vobis regnare, nisi per asperitates &
 CRVCEM, quo fit vt delicioſi inimici ſint
 CRVCIS. An putas vacare myſterio, quòd
 ſupplicij mei fuerim geſtator? Non vacat:
 Leo Ser. 8. factum enim id vt lignum CRVCIS in ſce-
 de Paſſ. ptrum mihi conuerterem poteſtatis, & pulchrà
 Dom. ſpecie triumphi mei portare tropheum, &
 inuicta patientia humeris, lignum ſalutis ad-
 orandum regnis omnibus inferrem, tamquam
 & tunc ipſa operis imagine omnes imitatores
 meos confirmarem, & dicerem: Qui non acci-
 pit CRVCEM ſuam, & ſequitur me, non eſt me
 dignus. Quid ni ergo grata ignominia CRV-
 Bernard. CIS ei, qui Crucifixus ingratus non eſt? Nihil
 Serm. 25. in Cant. glorioſius quàm Chriſti portare opprobrium.
 unde vox illa prorsus exultationis & ſalutis:
 Gal. 4, 14. Mihi abſit gloriari, niſi in CRUCE Domini
 mei Ieſu Chriſti.

Verè, inquiebat Staurophila, glorioſum
 omnino CRVCEM portare, nam qui Regi-
 bus inferuiunt, quàm accepti illis ſint, ex fa-
 uoribus & muneribus, ex diuitiis & ſtemma-
 tibus ab iis acceptis facile apparet. Tui verò,
 Domine, quàm grati tibi ſint miniſtri, ex im-
 poſitis manifeſtatur CRVCIBVS. Sic enim
 nobilitatus Tobias, ab Angelo audiuit: Quia
 Tob. 12, 13. acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatiq; pro-
 baret te.

Vtinam ita ſaperent, inquiebat Chriſtus,
 &

& intelligerent omnes filij hominum! qui dignitates & honores magnâ ambitione quærunt, qui diligunt vanitates & insanias falsas. Verè enim terre **CRUCEM** propter me Chrysoft. Hom. 8. in Epist. ad Ephes. illustrius est quàm sine Apostolum, sine Doctorem, sine Euangelistam esse. Magna dignitas hæc, & regnò quouis ac consulatu maior. Qui diligit & ardet Deum, eligit potiùs vincula & **CRUCEM** ferre propter ipsum, quàm celos inhabitare: non ita caput splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, ut catena ferrea & **CRUX** quæ propter Deum fertur. Potiùs mihi habetur malè affici pro Deo, quàm honorari à Deo.

Non omnes, inquiebat Staurophila, capiunt Matth. 13. 11. verbum hoc, sed quibus datum est à Patre. Paradoxam enim hanc Staurosophiam, non caro & sanguis, sed Pater cælestis reuelauit. Ita est, respondebat Christus, abscondita sunt hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelata paruulis. Nouerat hæc Paulus, paruus in oculis suis, magnus in oculis Dei, qui ait: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis,* 2. Corinth. 12. 9. 10. *ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo: dum enim infirmor, tunc potens sum.* Seipsum autè & aliis componens, dicebat: *Ministri Christi sunt? plus*

Ibid. c. 11,
23. 24. 25.

ego. Hanc autem gloriam quibus sibi arrogat titulis, quæso, animaduerte. *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudeis quinquies quadragenas unâ minus accipi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui.* Ecce hæc illa sunt, in quibus vas illud electionis gloriatur.

Seneca l.
de Prouid.
cap. 5.

Quoties vel audio vel lego hæc, toties, inquietabat Staurophila, prorsus in stuporem ab eo: quis enim non miretur Apostolici pectoris inuictam patientiam, & robur illud animi quouis adamante fortius? Hominem mortalem, Apostolatus sui insignia & velut gentilitia arma recensere, morbos, pericula, ærumnas, famem, sitim, frigus, nuditatem, quæ apud homines prorsus despicabilia! Quis sapiens, & intelliget hæc? Respondebat Christus: Non id adeo abstrusum, & mundo incognitum. nonne & Gentiles dixerunt: Agere & pati fortia, Romanum est? *Ignis aurum probat, miseria viros fortes. Numquam virtutis molle documentum est. Militares viri gloriantur vulneribus, quia calamitas virtutis occasio est: Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidijs: Præceptores plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est.* CRUX igitur lectissimos & glorio-

riofissimos Dei ostendit milites, & quis non in Domino gloriatur, se hoc numero cenferi? Fuit in hoc censu S. Secunda, *in cuius conspectu cum Iudex sororem Ruffinam acerrimè virgis iussisset cadi, ita Iudicem interpellauit: Quid est, quod sororem meam honore, me afficis ignominia? Iube ambas simul cadi, quæ simul Christum confitemur.*

Breuiar.
Roman.
Io. Iulij.

Si gloriari oportet, inquebat Staurophila, aut aliquando expediat, vera hæc demum gloria, ad Dei gloriam pati, & aliam nullam, nisi in Domino quærere. Quis mihi det similem fieri in gloria Sanctorum; & non gloriari, nisi in CRUCE Domini mei Iesu Christi? Tu, ô Domine, gloria mea, tu exultatio cordis mei, in te gloriabor, & exultabo totâ die: pro me autem nihil, nisi in infirmitatibus meis. Quærant Iudæi, quærant mundani gloriam quæ ab inuicem est; ego hanc requiram, quæ à solo Deo est. O veritas mea, misericordia mea, gloria mea, Deus meus, & omnia, tibi soli laus, honor & gloria, tibi soli benedictio, claritas, sapientia, & gratiarum actio in sæcula sæculorum, Amen.

Ioan. 5, 44.

Qui sunt CHRISTI, carnem suam CRVCIFIXE-
RVNT cum vitijs et concupiscentijs. Gal. 5, 24.



CHRISTE Deus, CRVCIFIGE meam, CRVCIFIGE
rebellem

Hanc carnem, in vitium ne malefana ruat.